



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bernardini Scardaeonii Patauini Presbyteri de Castitate Libri Septem

Scardeone, Bernardino

Venetiis, 1542

De molestia sterilitatis, & de liberorum desiderio ca. xii

urn:nbn:de:hbz:466:1-30433

DE MOLESTIIS CONIUGII.

obseruarent, ne cuiusquam externi uici conspectui ulla occasione apparerent: iccirco soliti iugiter eas domi occlusas tenere, & in itineribus obeundis sub tabernaculis, & clausis undique uehiculis occulte uectare. I modo, et confidas ebriosæ, & comptæ mulieri intanto luxu, licentiaque furenti: quum tantopere uiri illi sapientes cauerent ut nunquam, nec abstemiis, & sobriis, aut occlusis satis crederent, & tamen non potuerunt obstare, ut illis quodque moribus, & ea seueritate ulciscendæ pudicitia, non plures ferme adulteræ fuerint, quàm pudicæ. Pudicissimam semel matronarum sententia iudicata est Sulpitia uxor Fuluii Flacci electa ex centum præcipuis, quæ simul lachrum Veneris ex Sybillinis libris dicaret. Idem itaque contigit Claudiæ, dum induceretur Romam deorum mater. Rara quidem pudicarum exempla, at impudicarum frequentissima.

De molestia sterilitatis, & liberorum desiderio. Cap. XII.

Solet infœundæ quoque uxoris coniugium (quod saepe accidit) maximo tædio maritos afficere, qui uel ex eo solo quod liberis careant multi acriter affliguntur, atque in omni uita ex desiderio liberorum incredibili animi angore macerantur. Consuevit enim quamprimum quis de uxore cogitat, in spem adducit gignendorum ex se filiorum, qua sublata tantus moeror exoritur, ut uniuersalis solus connubilare potissit omnem prorsus iucunditatem coniugii atque tranquillitatem uitæ reliquæ: quum à multis sterilitas ipsa uxor, perinde atque quotidiana orbita deploratur. Vide de quaeso quid tibi possint asferre commodi nuptiæ, quibus te non esse illigatum, nec posse, etiam si uelis, illigari deinceps, tam iniquo animo uideris ferre ut de religione, institutione coelibatus impie, ac falso queraris,

Quanto sanè melius eum mentis tranquilli te seruire di-
uinis, & carere tantis molestiis, quàm pro tam breui, ino-
certoque solatio, citra omnem libertatem premi graui
iugo acerbissimæ seruitutis: quæ te continenter usque
ad exitum uitæ discruciet.

De solitudinibus parentum Cap. XIII.

DE coniugatorum molestiis, quæ à natura ipsa,
atque ex difficillimis uxorum moribus prouen-
iunt, hætenus satis (ut arbitror) dictum est: dein-
ceps de curis, & solitudinibus parentum, quæ eis oc-
cassione liberorum suscipiendæ sunt, dicendum uidetur.
Fili nanque quo iucundiores parentibus existunt, eo ad-
cerbiores sæpenumero casu quopiam aduerso fiunt.
Necesse est enim ut quisque illi plurimum timeat, cui
plurimum confidit, & id quod quisque maxime diligit
idem etiam sollicitissime custodire: quatenus & trepida
suspicio, & anxia cura, & assiduus metus parentes ipsos
semper sollicitos habeat. Quippe nulla re parentes affi-
ciuntur atrocius, quàm malis, aut incommodis liberor-
um: ut qui sæpe etiam læuissimos sui corporis crucia-
tus neglexerint, eorum tormenta nequiuert ferre: res-
peritiq; sunt, qui ut seruarent uitam filiis, seipsos perdid-
erunt, uitæ iactura illis succurrere non uerentes. Quid ue-
ro si præ inopia rei familiaris parentes ipsi nullo ualeant
ingenio, aut labore sufficientem uictum liberis ministrare,
nec multis eorū necessitatibus ulla sua industria sub-
uenire? Qualem tunc censes ab his sollicitudinem susti-
nere? Qualem miseriam? Quid si peregre profecti fue-
rint: aut petierint militam, aut nauigent? Sanè semper so-
liciti sunt, & anxii, ne quo morbo, egestate, exilio, naufra-
gio, aut captiuitate premantur: ut expectando, ac desi-
derando pendentes, animo assidue crucientur. Verum
si de tantis aggeribus malorum nihil forte contigerit, id